Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26825
Copyright: Admont, Benediktinerstift



timent ne forte puero in sua ingresso coluber ei inueniret moreretur. Erat quippe maioris in eo periculum detrimenti. Sed deliberantes in sancti hoc oratorium debere pietate. tamen ut puer ei clementia sanaretur festinato gradu. ad locum serpentem non dum moriente percurrunt. Incurrunt intrantesque mox se pauimento prosternunt ecclesie. dominum sanctumque hylarium quo sibi et puero misereretur gementes expostulant. Hec miseratio sancti poscentium cum lacrimis uota fraudauit. Euomit ore pueri. immo ac si imperatus pergeret coluber. Egressusque ueneno statim coram qui aderant uniuersis effuso euomitur. Fit puero nulli dubium quin per beati hylarii meritum serpentis absolutio. parentibus meritis exultatio. non et reliquis hoc spectantibus nimia stuporis admiratio. Vt eadem grandior aut mirabilior ulla quam quod coluber si perpendatur inuenitur pueri locum quo serpentes durare non possunt ingressi ad nobilitandum huius uirtutis uiuere potuit. egressusque mox lege subiacuit mortis.

Nec ergo pagina cum stilo rusticitate [in margin: riendi] tam etiam loquendi nimietate prolixius extensa uilescat. silentium iam scribendique debemus construere metas. Est tamen dignum iuuatque hoc unum tamen referre quam dignissima beatissimi huius presulis anima luminis fulgore migrauit excepta. Tantum namque lumen ecclesie dum infirmando obscurari cepisset uenerabilem uirum leonium eiusdem ciuitatis presbiterum quadam die secretius sibi accersiri mandauit. Ei autem idem sacerdos credulus et dilectissimus habebatur. Cumque imminentibus noctis tenebris eum exire et si quid foris audiret sibi renuntiare iussisset ipse uoces tumultuantis adhuc populi se audisse reticens exposuit. Persistebat itaque uigilans iussique finem expectans. Animoque nouissimis ei et carissimis exhortatu omnibus reficiens. Deinde intempesta iam nocte rursus a sancto rogatur exire. quidquid auditu percipere posset sibi iacenti adlectum referre. Qui dum nullum sonitum uel mussitatione sensisse renuntiat. mox splendor inestimabilis claritatis que leonius minime se ferre potuisse fatebatur. per fenestram altaris in parte eiusdem basilice in qua sanctissimus decubebat infirmus ingreditur. Secundum namque apostolum infirmatur carne. spiritu potentior erat. Cuius anima non qualiscumque sed beatissima corporalibus solutus uinclis egressa. eo ipso diuine ut credimus luminis claritatis suscepta. etiam paradisi migrando perpetui splendoris amenitate intrauit. ubi nunc et semper preciosi diadematis lapide coronatur in sempi[terna] [in margin: ina]

celi arce felici perfusus luce. exultantibus letatur sanctis. ipso prestante deo et domino nostro ihesu christo qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat deus per omnia secula seculorum amen.

## Felicis in pincis.

Apud nolam ciuitatem campanie beati felicis presbiteri. Hic a maximiano nolane urbis episcopo presbiterii honore preditus est. Cum autem imperatorum decreta christianos insequi precepissent. maximianus pontifex iam senio pergrauatus putans se non posse ferre supplicia siluarum saltus adiit. Quos dum turbidus de persecutione perraret. affectus fame. gelu attritus. solo corruit semiuiuus. Et beatus felix captus et uinclis astrictus. cum ante preside draconum adductus fuisset multaque ante ipsum deportentis deorum quod nichil essent disputasset. eumque prefectus impelleret ut ymolaret respondit. Inimici estis deorum uestrorum. Adque eumque enim me deorum uestrorum templa eduxeritis. hoc eueniet quod euenit illis. ad quem meum fratrem uos duxisse penituit. Sed si uultis probare uirtutem domini mei ihesu christi me ad capitolium ire iubete. ut ipsum iouem principem demoniorum uestrorum ruere faciam. Mox impius iudex compressis auribus suis iussit eum fustibus cedi. deinde eculei tormentis applicari. Vnde beatus confessor carceri includitur. in quo non mediocribus uinclis astrictus. cocleis ac testulis super positis extenditur. Et ecce noctis media angelus domini confractis catenis. scissaque trabe qua pedes eius conclusi tenebantur. ait illi. Surge. et egredere ac require sacerdotem tuum. inuentumque reduc ad urbem. et absconde ne inedia et fame depereat donec desinat persecutio. Cumque beatus felix egressus sacerdotem et episcopum suum requireret. inuenit illum solo prostratum clausis oculis. flectusque dentibus uix expirantem. et cum anxie requireret quod alimenti defecto seni porrigeret. ecce subito uuam de sentibus pendere miratur. Sequa aliquibus granis in os senis depressis. paululum senior refocilatur surrexit. Quem humeris impositum felix ad ciuitatem detulit. et sub tugurio cuiusdam uidue commendatum alimentis pauit. Deinde captus et in exilium deportatus beatus martyr in monte qui uocatur circeio ubi lapides excidebantur. ut ipse cum dampnatis pariter cesor lapidum esset. Vbi per cuiusdam filiam a demonio liberauit. uxoremque eius ab ydropisi morbo curauit. ipsumque per eum cum uxore sua et filia et pluribus aliis in christo baptizauit.

Post dein regressus. crescente persecutione. iterum mittitur persecutor. ex numero apparitorum. qui beatum felicem teneret. Que cum sollicite